

I. N. D.

DISSERTATIO ACADEMICA

DE

ASPARAGO

ET

QUIBUSDAM HUIUS SUCCEDANEIS,

QUAM

VENIA AMPL. FAC. PHILOS. ABOËNS.

PRÆSIDE

D:no CAR. NICOL. HELLENIO,

*Phil. & Med. Doct. Philos. Prof. Reg. & Ord. Horti Acad.
Præfecto, nec non Reg. Acad. Scient. Holm. Membro.*

PUBLICÆ EXAMINANDAM SISTIT

ULRICUS PRYSS,

Stipendiarius Ekestubbianus,

Svio-Gothus,

In Auditorio Majori die XXI Maji

MDCCLXXXVIII.

H. A. M. C.

ABOË, Typis FRENCKELLIANIS.

Kongl. Maj:ts
Tro - Tjenare och Professor,
Hög Adle och Vidtberömda
Herr Mag. JOHAN BILMARK,

Min Högtråde Svåger.

*D*å på den krönte Snilletts band
Det första steg jag häpen tar,
Tro ej, at jag af bruk och vana,
Åt DIG, ett offer helgat har.
Men om en Vän, en Släkting finnes,
Som uti alla skiften minnes,
Hvad vid sin Makas graf han svor:
För Hennes Bror en Fader blifva,
Och at en öm och älskad Mor
I ålderns qväll ej öfvergifva;
Och om nu öfver åtta år
Af denna ed jag frugten funnit;
Om sen min barndom lugnt försvunnit,
Sjag äfven stenet njuta får,
Utaf det blafs, som länge brunnit,
Och blott til gagn utgjuter sig;
Då inför Snillet jag skall svara,
För det som användt är på mig;
Åt hvem bör offret helgadt vara
Om ej, Vålgörare! åt DIG?

Min Högtråde Svågers

Ödmjukaste Tjenare
ULRIC PRYSS.

DE

ASPARAGO

ET

QUIBUSDAM EJUS SUCCEDANEIS.

*Et jamne herba aliqua divitiis tantum nascitur? Silvestres
fecerat natura corrudas, ut quisque demeteret passim:
Ecce altiles spectantur Asparagi:*

PLINIUS.

PRÆFATIO.

Fingamus viatorem in domum aptissime constructam
& quoad singulas partes non minus varie, quam
elegantem ornatam intrare, atque in eadem conspi-
cere mensas, cibus ac bellariis diversi generis & optimi
saporis plenas, nihilque plane obstare, quo minus pro-
positis in suam & satietatem & oblectationem frui possit
bonis; profecto aut ille secum non habitabit, aut bene-
ficentiam Domini, quamvis fortasse non conspicui, lu-
bens agnoscat. Quod cum ita sit, mirari convenit, repe-
ri homines, qui ita insaniant, ut quamvis in Mundi
hujus Theatro, sine sua opera splendidissime illuminato,
A ver-

verferentur; quamvis etiam omnia, quæ eorum obyeniunt
 fenfibus, artificiofiffime formata & in fuum producta u-
 fum inveniunt, adeo ut res creatæ, maximæ & minimæ,
 totidem fint inconfpicui Numinis fpecula, in meridiana
 tamen adeo cacutiant luce, ut tanti Benefactoris fapientiam,
 majeflratem ac munificentiam non agnofcant, fed
 de perfectionibus Divinis temere dubitent. Enimvero
 hi fere funt, qui, craffis immerfi voluptatibus, nihil præ-
 ter fe & has curent, ad faniozem reverfuri mentem, fi,
 veterno excuffo & criffis nimie de fe præfumptionis de-
 pofitis, res attentius confiderare vellent fibi obvias.
 Bene enim Illuftris BACO de VERULAMIO obfervavit:
Leves guffus in Philofophia movere fortaffe ad Atheifmum,
fed pleniorez haufus ad Religionem reducere (a). Cum au-
 tem Philofophiæ injecta fit mentio, fatendum erit, Re-
 gnum Vegetabile luculentiffima Divinæ fapientie, omni-
 potentie ac bonitatis argumenta inprimis fuppeditare; fi-
 quidem ex ditiffimo hoc penu non minorem delectatio-
 nem, quam utilitatem, quotidie percipiamus. Videre
 enim licet, quomodo Creatoris liberalitate glebarum nu-
 ditatem, camporum fqualorem ac rupium calvitia pul-
 cherrime veftiant herbarum copia, fruticum luxuria, ar-
 borumque fastigia. Cui quæfo mortalium tanta contigit
 facundia, ut rite, ceu decet, enarrare valeat radicum vigo-
 rem, erectam caulium ftaturam, foliorum figuram, peta-
 lorum nunc lacte candicantium, nunc fanguine ruben-
 tium aut purpura nitentium infinitisque aliis colorum
 varietatibus mire ludentium, magnificentiam? Hoc au-
 tem loco quis nos forte interrumpens, leviter cum Poë-
 ta objiciet: *Quid juvat afpectus?* Refpondeo: Juvat omni-
 no, quoniam mire delectat, materiamque blandiffima-
 rum

(a) Vid. *Ejusd. Libr. De Augmentis Scientiarum p. m. 12.*

rum cogitationum suppeditat, sed insuper *conceditur uti*. Vix enim ulla invenitur planta, quæ ad usum & utilitatem generis humani suam vel ex insita benefica indole, vel hominum adjuta industria, non conferat symbolam, modo ejus antea indagaverimus proprietates, immo pro varietate partium cujusvis plantæ diversa nobis præstat commoda, quorum alia ex radice, alia ex caule, alia ex foliis, alia ex fructu vel seminibus colligere licet,

Præstantissimis igitur hisce Naturæ dotibus & conquirendis & considerandis, quum operam impenderim, progressuum meorum in hoc studiorum genere qualiumcunque rationem redditurus, de *Asparago*, planta, quæ inter præcipuas mensarum delicias habetur, nec non de quibusdam hujus *succedaneis*, quæ facili opera & sine multo parantur sumtu nonnulla disserere mecum constitui, sperans Benevolum Lectorem juveniles hocce conatus meliorem in partem fore interpretaturum.

§. I.

Planta, cujus qualitates exponere constituimus, *Asparagus* a Latinis fuit appellata, qui nomen hoc a Græcis sunt mutuati, a quibus dicta est ἀσπάραγος, itemque Attice ἀσπάραγος, quæ voces, si Lexicographos audiamus, descendunt ab a *privativo* & vel σπειρεν *feminare* (a), vel σφασάγειν *sonare*; fuitque nomen generale, quo indigitabantur quævis sive teneriora germina olerum & herbarum,

A 2

barum,

(a) ἀσπάραγος uti aliis placet dictus quasi ἀσπασίλος non satis, quia, ut inquit ATHENÆUS, inter omnes Asparagos hi qui minime sati sunt principem locum tenent, qui vero seruntur, non in eodem pretio sunt.

barum, quin & fruticum & arborum priusquam in folia explicarentur, sive recentissimus turio, qui esui aptus esset, speciatim autem planta quædam, cujus descriptionem mox trademus, ita fuit appellata, quod turiones cæteris & copiosiores & sapidiore e terra protruderet. Quamvis autem Græcum hujus plantæ nomen invaluerit, indeque Gallicum *Asperge*, Anglicum *Sperage*, Belgicum *Aspergies*, Germanicum *Spargen* & *Spargeln*, ac Svecicum *Sparris* provenerit; non tamen propterea erit existimandum, illius delicias Græcis primum innotuisse; quin potius probabile est, Græcos ut alia multa, ita quoque Asparagi usum ab Ægyptiis didicisse. Refert profecto STRABO, Asparagos juxta Nilum, non longe a Mauriis, crevisse in altitudinem arundinum Indicarum & ad eandem crassitiem, atque uno Asparago plures excipi potuisse convivas (b). Quare etiam cuidam nostri ævi Antiquitatum Sacrarum Mystæ (c) probabile visum, Asparagum esse referendum inter Alliorum species, quas ceu præstantissimos Ægypti proventus extollebant ac vehementer desiderabant Israelitæ, ex ista egressi terra & in Arabiæ desertis palantes. Quæ inde robur nanciscitur opinio, quod bina hæc plantarum genera amice cohabitent, in eodemque solo latissime vigeant (d). Quo autem loco ea sint habenda, quæ de Asparagorum magnitudine perhibet STRABO nos quidem ignoramus; certum tamen est, Asparagos per sollicitam culturam satis magnos etiam in Europa evadere. Hinc aliquis ex recentioribus: *Wann Spargenstangen über ein Zoll dick, und ein halb Pfund schwer werden, so hat man es doch gebracht* (e).

§. II.

(b) Vid. *Ejusdem Geograph. Libr. XVII.* (c) Vid. *MICHAELIS Observ. ad Numer XI. 5.* (d) Vid. *Svenska Wetenskaps-Academiens Handlingar Vol. XXVI. pag. 217.* (e) Vid. *B. EHRHARTS Oeconomische Pflanzen Historie part. III. p. 20.*

§. II.

Juxta leges Systematis Sexualis plantarum, pertinet Asparagus ad Classē *Hexandriæ* & Ordinem *Monogyniæ*. Qui vero a fructu methodum suam adornarunt Botanici, eundem, ut CÆSALPINUS, ad *plantas herbaceas, solitariis pericarpis*, MORISON vero, RAJUS, CHRISTOPH. KNAUTH, HERMANNUS & BOERHAVIUS ad *bacciferas* transtulerunt. Corollistæ contra sive qui e *Corollæ* figura suæ classificationis plantarum petierunt fundamenta Auctores, quemadmodum RIVINUS, RUPPIUS & LUDVIGIUS inter *stirpes regulares, hexapetalas*, CHRISTIAN. KNAUT inter *hexapetalas, uniformes*, & TOURNEFORTIUS inter *rosaceas*, Asparagum nostrum retulerunt. Quem eundem porro, *calyce* ut præcipuo distributionis, plantarum fundamento considerato, MAGNOLIUS illis adnumerat plantis, quibus *calyx solum internus* & Summus a LINNÉ nostras iis, quas *incompletas* appellat.

In Ordine Naturali optime quidem, ut mihi videtur, jure, familiæ *Sarmentacearum* adjungitur plantarum. Characterem hujus genericum ex consideratione omnium fructificationis partium formatum, sequentem nobis tradidit Illustr. a LINNÉ (a).

CAL. nullus.

COR. *Petala* sex, ungvibus cohærentia, oblonga in tubum erecta, interiora tria alterna, apice reflexo, persistentia.

STAM. *Filamenta* sex filiformia, petalis inserta, erecta, corolla breviora. *Anthera* subrotundæ.

A 3

PIST.

(a) LINN, *Gen. Pl. Edit. VI*, pag. 168.

PIST. *German turbinatum, trigonum. Stylus brevis-*
simus. Stigma punctum prominens.

PER. *Bacca globosa, puncto umbilicata, trilocularis.*

SEM. *bina, subrotunda, introctum angulata, glabra.*

§. III.

Duorum Asparagi Generum (Specierum?) mentionem facit DIOSCORIDES scilicet, *ἀσπαράγος πέλαγος*, seu *Asparagi Petraei*, quem *μωακανθον*, seu *murinam spinans* vocarunt, & *κηπάρις*, seu *altilis*, de quo lepidam mendax Græcia habuit fabulam, eum ex cornibus nasci arietis contusis, ac defossis (a). Totidem quoque genera commemorat GALENUS, alterum *βασιλικόν*, *regium*, alterum *ἔλσιον*, *palustre* nuncupans (b). His tamen plures Asparagi species Veteribus innotuisse ex PLINIO discimus: *Omni-um*, scribit, *hortensiorum* (forte *hortensium*) *lautissima cura Asparagis. De origine eorum in silvestribus curis abunde dictum & quo modo eos juberet CATO in arundinetis seri. Est & aliud genus, incultius Asparago, mitius Cor-ruda, passim etjam montibus nascens, refertis superioris Germaniæ campis, non infecto TIBERII CÆSARIS dicto, herbam ibi quandam nasci simillimam Asparago. Nam quod in Neside Campaniæ Insula nascitur, longe optimum existimatur* (c). Sed num hæ distinctæ sint Asparagi Species, vel Speciei cujusdam cognitæ, diversæ tantum varietates, certo non constat. Quis enim ignorat commentatores, licet integra fere consumserint secula in Veterum nomi-nibus

(a) Vid. BAUHINI *Hist. Plant. Tom. III. p. 724.* (b) Vid. *Ejusd. Libr. 2. pag. CLII.* (c) Vid. *Ejusd. Hist. Nat. Libr. XIX. Cap. XLII. p. 428. ex editione FRANZII.*

nibus & plantis, quibus hæc imposta erant, immensæ ferelectionis apparatu extricandis, optato tamen laborum successu frustratos, ultra ambiguas admodum conjecturas progredi non potuisse? Sufficiat monuisse verosimillimum nobis videri, has a veteribus pro diversis habitas, ideoque etjam propriis nominibus insignitas species, unius ejusdemque speciei originis esse & stirpis. Quod enim ad DIOSCORIDIS & GALENI Asparagorum species attinet, ex ipsis nominibus illis impostis & paucissimis ad hæc nomina additis plantarum proprietatibus, vix hariolari licet aliud quoddam inter has intercedere discriminis, quam quod ex cultura proveniat. *Atilis* enim nomine certo nobis perivademus DIOSCORIDEM intellexisse culturæ mangonio productum, quemadmodum parum dubii nobis in animo remanet, eundem *Petræo* suo indigirasse in solo macro sibi relictum, incultum Asparagum, de quo prior originem quondam derivavit suam. *Βασιλικὸς* vero vel *Regius* GALENI, quis alius esse potuerit Asparagus, quam qui, ut Regum inserviret mensis, caule ita saginato erat, ut ad mentem PLINII pauperis mensa illum non caperet (d)? Dum e contrario *ἔλαιος* *ferus* tenuissimis filis in paludosis inter arundineta sponte crescens, insitam adhuc conservaret indolem & naturam. Nec temere, ut quidem nobis videtur, suspicamur, reliquos omnes a PLINIO memoratos Asparagos in eandem pari ratione coalescere speciem, propius scilicet consideratis, quas singulorum laudatus Auctor adfert, notis, ut dici solent, distinctivis. *Corrudam* quam appellat, horum ut maxime feram describit, quo mitiorem insimul esse alterum nondum vero nominatum innuit, Asparago tamen notissimo incultiorem. Ex qua ejus descriptione ho-

(d) Vid. *Libr. modo cit. Cap. XIX, p. 346.*

horum Asparagorum liquet, omnem in eo hujus rei dijudicandæ cardinem verti, ut quantum fieri possit, certi quid de *Corruda* illius nobis constet. Hanc vero idem PLINIUS rotundis verbis affirmat esse *Sylvestrem Asparagum*, & gravissimus CATO ex ejus seminibus satis fieri Asparagos (e). Quæ testimonia abunde confirmant *Corrudam* matrem habitam fuisse Asparagorum, cultura productorum. Probata sic harum plantarum conjunctione, in eandem familiam maxime necessaria, num fallamur, si has inter quasi medium descriptum PLINIO Asparagum, asseramus, utrique harum pro circumstantiarum variatione suos debere natales, prout nimirum tulerit occasio, interdum *Corrude*, interdum *Hortensi* propiores Asparagos: ut scilicet quoties *Corrudæ* affinior toties etiam Asparago fuerit incultior, quanto vero conjunctior huic, tanto quoque mitior *Corruda*. Etenim de Asparagis quemadmodum de omnibus, industria humana fotis, plantis valet quod suo jam tempore observavit VIRGILIUS ita canens:

*Vidi lecta diu, & multo spectata labore
 Degenerare tamen: ni vis humana quotannis
 Maxima quæque manu legeret: sic omnia fatis
 In pejus ruere ac retro sublapsa referri (f).*

Nostri vero avi Botanici, quorum in colligendis undequaque & collectis dein exactissime scrutandis plantis stupendam merito dixeris industriam, Asparagi quoque generis plures & detexerunt & certis, in quantum quidem lucusque constat, notis descripserunt species. Quarum jam

(e) Vid. *Ejus Libr. de Re Rustica Cap. XI.* (f) Vid. *Ejus Georgic. I.*

jam illam tantum, quæ *Officinalis* nomine triviali dicitur, utpote ab antiquissimis temporibus usitatissimam, considerandam sumimus.

§. IV.

Asparagus autem hic *Officinalis* dignoscitur caule herbaceo, erecto, foliis setaceis, stipulis paribus. Et illius quamvis Botanophili quatuor insignes observaverint varietates (a), omnes tamen allatis characteribus apprime conveniunt, probe ostendentibus, communem his olim eandemque fuisse originem. Locus hujus natalis in calidioribus Terræ partibus quærendus videtur, & forte Ægypto hic tribuendus honos, quum limus Niliacus turionibus protrudendis atque alendis sit quam maxime aptus; inde autem ad Europæas advectus est regiones, & frigidioris climatis adeo non impatiens factus, ut inter plantas Scaniæ nostræ indigenas, ac sponte nascentes inveniat (b); sed qui *agrestis* Asparagus, quoad formam *hortensi* conveniens, huic mollitie & grato multum cedit sapore. Sicut autem Asparagus *Hortensis* & *Silvestris* caractere non differunt specifico, ita probabile admodum est, & hujus semina mollis & optime stercoreatæ terræ mandata gremio per debitam culturam succulentos productura fore turiones, quamvis TOURNEFORTIUS referat experimentum tale a se aliquando institutum optato caruisse successu (c): culturam enim per longius continuare debuerat tempus; illius enim semina macræ

B

ter-

(a) Vid. *Nob. à LINNÉ Spec. Pl. edit. II. p. 448. & confer Mantiss. Pl. alter. pag. 366.* (b) Vid. *Cel. IECHE Primitias Floræ Scaniæ.* (c) Vid. *cit. a Cl. EHRHART, CLERICI Dissert. de Asparago p. 9.*

terræ commissa, plantam gignunt, quæ ipsius soli feritatem refert. Immo nisi valde fallimur, Asparagus, qui camporum nostrorum nunc est hospes, ortum suum repetit a lativo, cujus semina vel tempestatibus, vel ab avibus, vel alio quò demumcunque modo ad silvestria devecta fuerunt loca.

§. V.

Quandoquidem quædam Asparagi vestigia in antiquiori etjam Historia occurrunt, a nostro haud alienum erit propositio, pauca illa, quæ nos animadvertimus, breviter tangere. Verum quidem est, Asparagi usum in opulentiorum Romanorum mensis olim fuisse frequentissimum; incertum tamen, quod perhibet aliquis (a), Imperatorem OCTAVIUM AUGUSTUM Asparagis præ aliis delectatum fuisse. In pignus hujus opinionis adfertur paræmia ab ipso usitata & a SVETONIO commemorata: *Velocius quam Asparagi coquuntur* (b); qua nimiam indicare solebat festinationem; quam autem concludendi rationem nos quidem non adsequimur. Præterea in nuptiarum solemnitatibus adhibiturum fuisse Asparagum legitimus; apud Bæotios enim sponsarum capita Asparago coronabantur, quo, teste PLUTARCHO, ostenderent, spinam ex maxime incommoda mitem factam atque humanæ vitæ aptam (c). Cum itaque in genialibus festivitatibus Asparagi

(a) Vid. B. EHRHARTI *Libr. & Tom. cit. p. II. in notis*. In Lexico suo refert FABER, paræmia modo nominata frequenter usum fuisse AUGUSTUM, quod ita interpretatur EHRHART, ut Asparagis valde delectatum fuisse hunc Imperatorem existimet.
 (b) Vid. *Vitam OCTAVII AUGUSTI Cap. LXXXVII.* (c) Vid. *ALEXANDRI ab ALEXANDRO Dies geniales Libr. II. Cap. V. & confer JUL. CÆS. SCALIGERI Comment, in Libr. de Plantis Aristoteli inscriptis pag. 64.*

ragi invaluerit usus, mirum non est, alios populos spinas Asparagi aut stramina in sacrificiis cremare, nefas habuisse (d).

§. VI.

Quantum Asparagis pretium veteres statuerint Romani, optime colligi potest ex sollicita, quam eisdem colendis impenderunt cura, cujus nos certiores faciunt Rei Rusticæ eorum Scriptores. Cateris facem prætulit gravissimus M. CATO (a), cujus ex Libro de Re Rusticæ præcipua mutuo sumserunt COLUMELLA, PALLADIUS ac PLINIUS. Supervacaneum judicamus descriptiones culturæ hujus plantæ ex nominatis depromptas Auctoribus his inferre pagellis, quum libri ipsi manibus plerorumque Eruditorum terantur: nulli præterea dubitantes, quin ea, quæ de Asparagorum cultura recentiores exposuerunt Rei Hortensis Scriptores (b), majorem mereantur attentionem, utpote frigidiori nostro climati accommodatio-
ra. Peculiare autem omnino est, quod PLINIUS refert (c), scilicet *Altiles Asparagos ita apud Ravennates fuisse saginatos, ut terni libram penderent*: quod tamen nec prorsus insolens in aliis locis est phenomenon, perhibet enim Cel. LISTER, in *Anglia centum Asparagos ad triginta libras pependisse* (d).

B 2

§. VII.

(d) Vid. *ALEXANDRI ab ALEXANDRO Libr. IV. Cap. XVII.*

(a) Vid. *Ejusdem de Re Rust. Libr. Cap. CLXI.* (b) Ex diversis autem Asparagos colendi methodis, quæ *Ehrenreichiana* vocatur, in Finlandia nostra omnium fere consensu voto hucusque optime respondit; quam descriptam vid. in *Svenska Vet. Acad. Handl. Tom. XXIV. pag. 214-220.* (c) Vid. *Ejusdem Hist. Nat. Libr. XIX. Cap. XXX. pag. 346.* (d) Vid. *Ejusdem not. ad cit. Apicii Libr. p. 77.*

§. VII.

Sequitur, ut dispiciamus, quomodo Asparagis in Re Cibaria veteres usi sint Romani; qua de re incassum laboraremus, nisi curiositati nostræ subvenisset APICIUS COELIUS; a quo discimus, duplici potissimum hoc factum esse modo, quorum tamem neuter apud nos invaluit. Utrumque sic describit: *Asparagos siccabis, rursus in calidam submittes* (a). De modo siccandi Asparagos nihil plane commemorant Commentatores in hunc locum; ad posterius autem membrum observat HUMMELBERGIUS, *per hoc indicare voluisse Auctorem, non multa opus fuisse coctura, sed brevi tantum elixatura, ut suberudus quasi adhuc fuerit; qualis emolliendæ alvo idoneus esset.* Et alio loco: *Patina de Asparagis frigida. Accipies Asparagos purgatos, in mortario fricabis* (b): *aquam suffundes, perfricabis: percolabis: et mittes ficedulas* (c) *curatas* (d): *teres in mortario, piperis scrupulos VI: adjicies liquamen* (e), *fricabis, vini cyathum I* (f). *passi cyathum I. olei uncias III. mittes in cacabum, illic ferveant, perunges patinam: in ea ova VI. cum anogaro misces: cum succo Asparagi impones cineri calido: misces impensam supra scriptam: tunc ficedulas compones: coques: piper asperges & inferes.* *Aliter: Patina de Asparagis, Adjicies in mortario Asparagorum præcisuras, quæ projiciuntur, teres, suffundes vinum, solas. Teres piper, ligusticum* (g), *coriandrum viridem, sat-*
ture-

(a) Vid. *Auct. nominat. Libr. III. Cap. 3.* (b) Hoc potissimum de Asparago siccato valere constat. (c) De *Ficedulis* quæ etiam *Atricapillaria* nominantur prolixè differit *Cel. LISTER in observ. ad Libr. cit. p. 125. not. 21.* (d) Id est præparatas. (e) De *Liquamine* hoc, quod & *Garum* dicebatur & saporem reddere gratiorem credebatur, prolixè agit *Cel. LISTER Libr. cit. pag. 19 & 20.* (f) *Cyathus* erat duodecima pars sextarii. (g) *Ligusticum Levisticum Sv. Libsticka.*

tūrejam (h), cepam; vinum, liquamen & oleum: succum transferes in patellam perunctam: & si volueris, ova dissolves ad ignem, ut obliget: piper minutum asperges (i). Conditas valde fuisse has dapes ex descriptionibus allatis patet, Asparagi vero pro parte intinctus, non pro substantia epuli videntur habiti: qui an delicatioris saporis hac arte fuerint facti, quum gustus perquam variet, definire non audemus. Certum autem est, modos in cibum parandi Asparagos apud nos usitados, & qui pro diversitate intinctus communiter variant, esse longe simpliciores (k) & proinde fortassis etiam sanitati conservandæ accommodatiores.

§. VIII.

Duplici adhuc modo considerari potest Asparagus, pro diverso videlicet usu, quem partim in Medicina, partim in Oeconomia nobis præstat. Asparagos non absque successu contra vim quorundam morborum fuisse adhibitos, Veteres etiam Medjci docent. Hinc GALENUS: *Asparagus petrus aut myacanthinus abstergendi vim habet, idque citra manifestam vel caliditatem vel frigiditatem. Hinc renes ac jecur infarctu liberat & maxime herbæ ipsius radices & semen. Quin & dentium dolores sanat siccitatis nomine citra calefactionem &c. (a).* Et alio loco: *Asparagi & semen & radix urinam provocat, potest duritiem relaxare; vires habet aliquatenus calefactorias & diu-*

B 3 reti-

(h) *Satureja Sv. Kyndel.* (i) Vid. *APICII Libr. IV. Cap. 2. p. 108 & 109.* (k) *C. W. Kok-Bok eller Hjelpreda i Hushållningen Edit. IV. pag. 310-312.*

(a) Vid. *Ejusdem Libr. VI. De simplicium medicament. facultatibus p. m. 43. ex edit. J. B. RASARII.*

reticas (b). *Asparagi vires & usus prolixè describit BAUHINUS, observans: Asparagi cauliculos leviter decoctos, & pro cibo sumtos ventrem mollire & urinam ciere; radicumque decoctum epotum agre mejentibus, regio morbo laborantibus, nephriticis & ischiadicis auxiliari. Dolore dentium infestatis proficere, si modo decoctam super affecto dente contineatur; cauliculos Asparagi ex vino albo tritos, renum dolores sedare: coctos assosve Asparagos in cibo sumtos urinæ stillicidium, difficultatemque & dysenteriam mitigare. Ejusdem radicem in aceto aut vino decoctam, luxatos artus mulcere, cum sicubus autem ciceribusque decoctam, regium morbum sanare & coxendicum cruciatus, urinæque stillicidium levare* (c). Plures alios *Asparagi* in Medicina usus ex *PLINIO* Auctor modo memoratus recenset, sed quam fidem illi mereantur singuli, aliorum experientia & dijudicationi subijcimus. Quamvis *Asparagi radix* inter obsoletas a *Cel. A. R. VOGEL* referatur, observat tamen, eandem ad quinque aperientes pertinere: in decocto moderate *jecoris & renum obstructions aperire prodesseque in Regio morbo & nephriticis correptis* (d). Scilicet habet *Asparagus* cum plantis tantum non omnibus vernalibus hoc commune, ut vim purificandi corpora exlerat, unde quidem, ut ex infinitis aliis rebus, summa Dei in nos elucet bonitas: cum enim per hiemem multas difficilioris concoctionis epulas sumserimus, quæ non paucas in corpore reliquerunt cruditates, his & resolvendis & ejiciendis opportune inserviunt plantæ, primo vere turiones suos e terræ gremio exserentes. Ex hac autem vi diuretica procul dubio repetendum, quod *Alparagis* consumtis

(b) Vid. *Libr. de simplicibus medicaminibus* p. m. 89. (c) Vid. *BAUHINI Hist. Plant. Tom. III. p. 12.* (d) Vid. *Ejusd. Hist. Mat. Med. p. 233.*

tis urina foetidum spargat odorem, quæ passim nota est observatio. Quæ modo in laudem Asparagi allata sunt, plenius explicat Cel. EHRHART: *Die Wurzeln der Spargeln sind gewiss eine sehr gute eröffnende Arznei in zehrenden, schleichenden Fiebern, und ansetzender Heftic, zu mahl von verderbten kalten Fiebern. Der berühmte HOFMAN hat sie oft angerathen, und guten Nutzen davon angemerkt* (e). Quo autem modo in morbis dictis adhiberi debet Asparagus plene docet Cel. HOFMANNUS (f). Addit insuper Cel. EHRHART: *Einige haben von diesen Spargenwurzeln eine ganz andere Wirkung, als von denen Spargenpfeifen angemerkt: nemlich das das gefottene Trank von jenen das Blutbarnen stille, da diese solches erregt haben* (g). Immo a pluribus fuit observatum, crebrum nimis Asparagorum usum illis nocere, qui ex mictu cruento, fluxu hæmorrhoidali, podagra & calculo laborant, immo diabetem provocare. Insignem quoque vim septicam Asparagis inesse, adeo ut ipsam tandem vesicam, si diu ac multum edatur, corrodat, tradit Cel. LISTER (h). Taceamus alia tam commoda, quam incommoda, quæ ex Asparagorum usu provenire dicuntur; horum pleraque ex intempestivæ hujus plantæ usu derivanda esse existimantes.

§. IX.

Si plantæ cujusdam cultura Oeconomis sit commendanda; hoc, ut nobis quidem videtur, ex sequentibus fiet

(e) Vid. cit. *Auct. Libr. p. m. 14.* (f) Vid. *Ejusd. Medicinam Consultatoriam P. II. Dec. IV. Caf. VI.* (g) Vid. *JUNKERI Consult. Therap. General. p. 262. cit. in EHRHARTI Libr. nom. p. 15.* (h) Vid. *Libr. §. antec. cit. p. 77.*

fiet rationum momentis: nempe, si ejusdem cultura fuerit facilis, nec sumtuosa, nec agriculturæ noxia, & tamen lucrosa, atque generi humano utilis. Enimvero nullum horum in Asparagos quadrat. Sive enim Veteres Rei Rusticæ Scriptores Romanos, sive recentiores Rerum Hortensium Doctores consulamus; animadvertimus Asparagorum culturam habitam esse admodum operosam. Est eadem quoque non parum sumtuosa; si enim areola Asparagis in horto destinata, fuerit tantummodo centum ped. quadrat. id est $\frac{1}{16}$ pars jugeris, Suet. Tunneland, hæc ultra centum plaustra optimi fimi in substramen postulat, adeoque tantam illius copiam, quanta aliquot jugeribus saginandis sufficeret: hoc autem lætamen agris substratum, spem exoptatæ messis præcidit. Scimus equidem, Asparagorum turiones etiam absque ulla fere stercoratio-
 ne aliquando provenisse; sed hæc experimenta ponimus inter curiosa, quæ proinde inter obsoleta nunc habentur. Postulat autem æquitas, ut dum de Asparagorum cultura differimus, distinctionem inter Oeconomiam Urbanam & Ruralem faciamus: quum scilicet in urbibus, præsertim majoribus, magna sit lætaminis copia, ad rura ægre deferendi, in hortis tam urbicis, quam suburbanis cultura Asparagorum non prorsus negligenda, rure autem subsidium Asparagis tribuendum majori cum fructu agris & pratis impenditur. Hortulanis igitur urbicis lucrosa est hæc cultura, ruricolis autem noxia. Quod ad usum Asparagorum œconomicum attinet, turiones eorum, qui palato tantopere arrident, in Re Cibaria vix partem aliquam necessariorum alimentorum, ob exiguam nutriendi vim, constituunt, sed ad mensas secundas & delicias opulentiorum hominum pertinent. Dubitari autem potest an liberalior turionum usus sanitati inserviat? Cum propter rationes §. antec. allatas, tum quod omnes præcoces

coces fructus, utpote a Natura nondum plene elaborati, quales sunt nominati turiones, corporibus nostris minus convenient. Asparagorum turionibus insectorum quædam porro adeo gravi sunt noxæ, ut haud raro peritissimi etiam Hortulani impensas penitus perdant grandes. Relatum enim legimus, larvas *Chrysomele Asparagi* Linn. & *Tipule Hortulanæ* Eiusdem, sapissime non modo radices consumere Asparagorum, verum etiam illis destructis, ipsos turiones fœde spurcare (a).

§. X.

Quoniam ob rationes a nobis modo allatas, cultura Asparagi aliquam in Re Cibaria commendationem ægre admittit; juvat ex plantis nostris, præsertim indigenis, quasdam strictim nominare, quarum turiones vicem Asparagi sustinere, adeoque Succedaneorum loco haberi possunt. Sequimur hac in materia auctoritatem præstantissimorum Historiæ Naturalis Scriptorum, quibus magis credendum, quam observationibus atque experimentis a nobis factis. Nostra opera faciliorem, certe minus sumtuosam, turionum messem spectat. Ad Classem igitur *Succedaneorum Asparagi* pertinent præcipue sequentes plantæ:

- 1:0 Omnes fere *Campanularum* species esse esculentas, dudum fuit observatum (a). Radices inprimis *Rapunculi* Sv. *Rot-Rapunsel*, coctæ instar turionum Asparagi sapiunt (b).

C

2:0

(a) Vid. Linn. *Amœn. Acad. Vol. III. pag. 350.* (a) Vid. *Illustr. LINNÆI Amœnitates Academicæ Vol. III. p. 82.* (b) Vid. *SJÖRLINS Svenska Köks- och Kryddgården pag. 17.*

- 2:0 *Cbenopodium, Bonus Henricus* dictum Fl. Sv. 214
 in areis villarum frequens: Hujus turiones, germina novella ac florum thyrſi, dum adhuc ſunt teneri, in aqua aut carniſum juſculo decocta & cum butyro ac ſale condita, gratum præbent cibum, inſtar Spinachiaë, Lupuli & Aſparagi, quibus ſaporis ſvavitare non multum cedunt, facultate deterſoria præferuntur (c).
- 3:0 *Eryngium Maritimum* Fl. Sv. 233, protrudit turiones, qui rite parati grato ſapore Aſparagis parum cedunt; nutriunt optime ac vigorem reſtituunt. Aperire & lotium eos movere, inde ab antiquiſſimis creditum fuit temporibus (d).
- 4:0 *Angelica Archangelica* Fl. Sv. 245. Petioli hujus & rami recentes, ſaccharo conditi, gratiſſimi ſunt ſaporis & menſis magnatum imponuntur. Turiones a Færoëſibus, Lapponibus, aliisque Nationibus Borealibus avidiſſime eduntur crudi, detracta cute & fibris, ſapidiores fiunt in prunis eodem torrendo vel in lacte elixando (e).
- 5:0 *Convallaria* tam *Polygonati* Fl. Sv. 294, quam *Multiflora* Fl. Sv. 295 turiones Conſtantinopoli ad-
 in-

(c) Vid. RAJÏ Hiſt. Plantar. Tom. I. p. 195. (d) Vid. LINN. Amœn. Acad. Vol. cit. p. 83. Item: BERGII Mater. Medic. p. 188. (e) Vid. LUC. DEBES Færoe & Færoa reſerata p. 112. Item: CANUT. LEMM Commentatio de Lapponibus Finnmærkia pag. 127.

instar Asparagorum comeduntur (f). Virentes & crudi eosdem sapore exacte referunt; sed si coquantur, amaricantes fiunt (g). Adeoque velocius certe quam Asparagi coquendi.

6:o *Epilobium Angustifolium* Fl. Sv. 327 in sylvis nostris late viget & sub terra exerit stolones pedales & bipedales, crassitie digiti, albos, esculentos, qui una cum caulium medulla inter cupedias Camfchatkadorum haud infimum obtinent locum (h).

7:o *Brassica Napus* Fl. Sv. 609, tam crudus, quam variis mixtus ferculis editur; hujus semina densius sata radices agunt quidem teneriores, majoribus vero multum sapidiores (i), & instar Asparagorum turionum edules (k).

8:o Radices *Sii Sifari* L. S. N. Edit. Murray. XIV. pag. 284, in nostris late germinantis hortis, coctæ sapidum præbent cibum, & cum intinctu Asparagorum illis fortassis longe gratiorem (l).

9:o *Sonchus Alpinus* Fl. Sv. 689. Caules hujus decor-

C 2

(f) Vid. *Amæn. Ac. V. cit. p. 84.* (g) Vid. *BERGII Libr. cit. p. 271.* (h) Vid. *GMELINI Flor. Siberica I. p. 218.* (i) Vid. *BERGII Libr. cit. p. 567.* (k) Vid. *JÖRLIN Libr. cit. p. 8.* (l) Vid. *RÄSÄ Libr. & Tom, cit. p. 443.* item: *JÖRLIN Libr. cit. pag. 34.*

corticatos edunt Lappones crudos, oleo vero & aceto si condiantur, longe fiunt sapidiores (m).

10:0 *Scorzonera Humilis* Fl. Sv. 685, radix recens, de rasa cute & ocyus cocta, gratum & salutare præbet nutrimentum, Asparagis parum sapore cedens; embemmate acidulo tincta, humores egregie purgat (n).

11:0 *Tragopogon tam Pratenſe* Fl. Sv. 684, quam *Porrifolium* L. S N edit. XIV. Murray. pag. 710. plantæ hujus adhuc teneræ turiones eodem, quo Asparagi, modo cocti ac parati lapidum ac succulentum præbent cibum, qui tabidis & macilentis imprimis conducit (o).

12:0 *Arctii Lappæ* Fl. Sv. 712, caules nondum florentis plantæ, de raso cortice, cocti aut instar Asparagorum aut cum sale, aut aceto oleoque imbuti gratum palato eundemque urinas pellentem cibum præbent (p).

13:0 De *Onopordone Acanthio* Fl. Sv. 724, observatum est, caules ejus juniores instar Asparagorum

(m) Vid. *Amœn. Ac. V. cit. p. 93.* (n) Vid. *LINN. Amœn. Ac. Vol. VI. p. 119.* (o) Vid. *RAJI Libr. & Tom. cit pag. 252.*

(p) Vid. *J. FR. GMELINI Enumeratio Stirpium, agro Tubingensi indiginarum, pag 245.* item *EHRHART Libr. cit. pag.*



)

(



rum (q) & florum discos, ut in Cynara, esse esculentos (r).

14:0 *Cardui Palustris* Fl. Sv. 725, quemadmodum fere omnium *Cardui* Specierum turiones, utpote farinacei, nutrientis aliquod continent; quoad usum oeconomicum, dum rite parantur, parum cedunt caulibus *Arctii Lappæ* (f).

15:0 *Humuli Lupuli* Fl. Sv. 908, Turiones pro Asparagi Succedaneis jam pridem sunt adhibiti & mensis etiam opulentiorum impositi: habentur autem diuretici, leniter laxantes, atque contra obstructions viscerum & cutis morbos valent (t).

16:0 *Polypodium, Felix mas* Fl. Sv. 946. Juniores frondium hujus turiones cincinni in modum inflexi, cocti, esculenti sunt & alvum molliorem reddunt: Hypochondriacis & obstructionibus viscerum laborantibus egregie convenire dicuntur (u).

Haud equidem diffitemur, quin plurimum adhuc plantarum turiones pro Asparagi succedaneis utiliter possint adhi-

(q) Vid. HOFFBERGS *Anvisning til Växt-Rikets Kännedom* pag. 184. (r) Vid. Boehm. *Lipf.* p. 186. (f) Vid. *Amoenit. Acad V.* cit. p. 94. item EHRHART *Libr. XI.* pag. 97. (t) Vid. GME-LINI *Libr. cit.* pag. 307-308. item C. W. *Hjelpreda i Hushållningen* pag. 310-311. (u) Vid. FR. GVILIELMI WEIS *Plantæ Cryptogamicæ Floræ Gottingensis* p. 312.

adhiberi; verum quum omnes illas enumerare instituti
nostri non permittat ratio; hisce in medium allatis sub-
sistimus, BENEVOLUM LECTOREM enixe rogantes, ut
benigne excipiat hoc studiorum tirocinium, atque

*Det veniam Scriptis, quorum non gloria nobis
Causa, sed utilitas officiumque fuit. OVID. (V).*

(V) Vid. *Ejusdem Libr. III. De Ponto Eleg. IX. v. 55-56.*

